

zum erstenmale, dass das Evangelium von ihnen sagt: „sie glaubten an ihn (crediderunt in eum)“, — in ihre Herzen gesenkt, und sie verkündeten überall, wie Jesus das erste Wunder, und zwar auf die Bitten seiner Mutter gewirkt hatte, verkündeten überall die Herrlichkeit von Jesus und Maria. Diese Herrlichkeit war Maria wieder ferner verkündigt durch den hl. Johannes, als er in der Apokalypsis XII. 1. jenes Weib beschrieb, welches im Himmel erschien. Ein Weib mit der Sonne bekleidet, den Mond unter den Füßen und auf ihrem Haupte eine Krone mit zwölf Sternen. Diese Herrlichkeit wurde auf ewig befestigt, als Jesus seine Mutter zu seiner Rechten auf einen Thron setzte und als Königin von Himmel und Erde krönte. Wie eine irdische Königin Landesmutter genannt wird, so wird Maria auch als Hausmutter der grossen Gottesfamilie begrüsst und sorgt jetzt vom königlichen Throne aus, wie einst auf der Hochzeit zu Kana für die Brautleute und Hochzeitsgäste, für alle ihre Kinder, für die heilige Kirche.

De Humilitatis atque Superbiae natura, et merito apud Deum.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

Clamat nobis Scriptura divina.
fratres, dicens: «Omnis qui se
exaltat, humiliabitur; et qui
se humiliat, exaltabitur.»

Reg. S. Benedicti, cap. VII.

a) Humilitas veritas est, quia in veritatis agnitione consistit; agnitione autem quae cum notitia mentis involvit obsequium cordis. Neque enim is praecise humilis est qui suam cognoscit vilitatem aut miseriam; sed ille qui sibi indebitam non ambit, et alterius veram reveretur excellentiam. Ecce enim diabolus miserum se agnoscit, siquidem se miseria oppressum experimentaliter cognoscit; et tamen humilitas longe est a corde ejus, quia peccat ab initio: et ideo credit et contremiscit, quia Dei potentiam atque justitiam quarum in se sentit effectus, nedum corde adoret obsequenti, prava potius voluntate odit atque blasphemat, et animo timet vilissimo; nam timorem reverentialem quo cum angelis Creatori fidelibus divinam Majestatem adoraret, si in veritate stetisset, in timorem captivitatis sub peccati servitute sua praevaricatione commutavit, quatenus loco amoris in Deum et gratiarum actionis pro bonitate ejus et donis ab eo acceptis, qua praeditus erat sapientia, non ad Creatoris perfectiones contemplandas utens atque laudandas, sed ad se conversus, et in propria sibi complacens

excellencia, celsitudinem aut honorem sibi indebitum stulte concupivit, et Creatori debitum suberpe renuit exhibere famulatum. Contra vero angeli sancti, quas in se conspiciebant perfectiones, Creatoris largitati acceptas referentes, illumque ut principium omnis boni magnificantes, perfectionis suae consummationem et exaltationem suam in gloria meruerunt una cum humilitatis incremento; hujus etenim perfectio virtutis, stante amore veritatis, crescat necesse est, crescente cognitione Creatoris, et creaturae ab eo dependentiae. E quibus collige non modo humilitatem cum cognitione propriae excellentiae optime componi, sed, quod magis est attendendum, majorem humilitatem majoris excellentiae effectum esse, quoniam e majore nascitur cognitione et amore Creatoris. Caeterum, quamvis major excellentia majoris est humilitatis causa in sensu exposito, nequaquam vero cognitionis propriae excellentiae pro humilitatis gradibus computandis habenda est ratio: licet enim perfectio subjecti humilis secundum cognitionem et amorem Dei est humilitatis principium, tamen perfectio divina, non subjecti humilis propria, est humilitatis motivum; et ideo pro cognitione tantum et amore divinae excellentiae, et consequenter dependentiae creaturae a Deo, praescindendo scilicet a cognitione perfectionis suisupius, erit humilitas creaturae major aut minor. Equidem, absolute loquendo, potius est nota esse creaturae quae Deus illi contulit beneficia; quia dignum et justum est ut Deo agantur gratiae pro donis ab eo acceptis, et non solum propter suam gloriam intrinsecam ametur atque laudetur, sed propter suam quoque communicationem ad creaturam: et ideo in statu beatitudinis, in quo humilitas erit perfectissima et ab omni defectionis periculo segura, nullus beatorum ignorabit quidquam pertinens ad perfectionem suam; et eadem de causa B. Virgini, quae fuit semper impeccabilis, manifestavit Deus adhuc in terris degenti sublimem ac singularem excellentiam divinae Maternitatis ejus, quam ipsa in suo magifico cantico humili corde praedicavit in gloriam Dei et Filii sui. Id ipsum plus minus contingit in omnibus fidelibus Dei servis, qui quanto ferventius Deum amant, tanto magis divinam erga se bonitatem sive in suae mentis illustrationibus, sive in cordis consolationibus experiuntur. Verum ne in militia quam in hac vita mortali contra mundum, diabolum et concupiscentiam omnes homines opus est exercere, horum hostium, qui in aeternam conspirant animae nostrae ruinam, aut fraudibus in errorem inducantur, aut vehementibus e statu justitiae, qui praeordinati sunt ad vitam aeternam, contra Dei propositum dejiciantur incursibus; inter alia quae summa Dei bonitas nobis providit arma atque remedia, fragilitatem nostram ac indigentiam, tum a nostris abscondens oculis quae nobis contulit dona, tum etiam acrius quandoque ingravescere sinens tentationum procellam,

pio admodum ac salutari consilio facit nobis esse perspicuam, ut non cum superbo angelo, de nobis quidquam praesumentes, divina gratia excidamus, sed cum David fideli discamus, necessitate compulsi, ad Deum clamare et deprecari, ut qui nostram non amovit a nobis orationem, etiam suam non amoveat benignissimus Deus misericordiam. Vnde magnus Paulus, „ne magnitudo, inquit, revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet. . . . Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi“. Et quidem nobis superbis et ad malum pronis omni tempore multum expedit nostras sentire infirmitates, ut virtutis Christi simus participes, et ab eo discamus humiles esse, qui etsi summae perfectionis et sanctitatis suae conscius, non poterat demisse de se sentire; unde dixit: (Joan. cap. VIII.) „Ego quae placita sunt ei, (Patri) facio semper“; et: „Quis ex vobis arguet me de peccato?“ suam tamen, ut hominis gloriam non quaerebat, sed in omnibus Patrem suum glorificabat, humanitatis suae obsolutam agnoscens ab eo dependentiam, et confitens verbo et opere: unde dicenti sibi: (Luc. cap. XVIII.) „Magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo?“ respondit: „Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.“ Quoniam ergo in hoc vera et perfecta humilitas sita est, ut Deum agnoscamus et confiteamur originem omnis boni, et cum timore reverentiali ambulemus coram eo propter omnimodam nostram ab omnipotente virtute sua dependentiam; ideo Christus Dominus, quamvis non potuit humilis esse propter aliquam defectionem aut fragilitatem suam, jure merito dixit nobis: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.“

b) Apposite igitur et accurate valde B. Pater noster Benedictus, de humilitate sermonem facturus, his verbis incipit: (Reg. cap. VII.) „Clamat nobis Scriptura divina, fratres, dicens: ‚Omnis qui se exultat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.‘ Cum haec ergo dicit, ostendit omnem exaltationem genus esse superbiae.“ Apposite, inquam, et accurate valde citata verba Scripturae B. Pater noster adducit, et sapienter eadem interpretatur exaltationem cum superbia confundens, quia sola exaltatio humilitati opponitur; exaltatio quidem qua creatura se extollit cum injuria Creatoris, de hac enim exaltatione dicitur: „Qui se exultat, humiliabitur;“ non exaltatio qua a Creatore exaltamur ad majorem gloriam Majestatis suae et humilitatis nostrae remunerationem, nam de hac exaltatione dicitur: „Qui se humiliat, exaltabitur.“ Dum dicit autem B. Benedictus omnem exaltationem genus esse superbiae, significat diversos esse se exaltandi modos. Et revera aliter se exaltavit diabolus, aliter vero se exultat homo peccando et superbiendo. Nam exaltatio diaboli fuit pura et

consummata superbia, quia Divinam Majestatem directe offendit independentiam a Deo concupiscens, et dicens in corde suo: — non serviam; — in hoc enim differt pura et consummata superbia a peccatis reliquis, in quibus Deus offenditur quodammodo indirecte secundum malae voluntatis objectum. Puram autem dico superbiam, speciem peccati significans a peccatis reliquis distincti; nam superbia secundum rationem genericam in omni specie peccati aliquatenus involvitur, quia omnis peccati est initium, quatenus renuit creatura divinae legi obtemperare. Ad superbiae porro speciem pertinet peccatum ambiendi dominationem ac principatum inter homines, ut cum Jacobus et Joannes, filii Zebedaei, caeteris discipulis Jesu se praeponi cupientes, ita Dominum rogare ausi sunt: „Da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua“ At haec non est adhuc superbia consummata, quae creaturam facit apostatare a Deo, qualis habetur in peccato blasphemiae: nam Jacobus et Joannes v. g., etsi superbi dominari cupientes inter homines, tamen Dominum Jesum sincero amore diligebant, et subdi volebant potestati ejus. Aliud sane est dominationem inter homines, aliud independentiam a Deo concupiscere, quod specialem quidem habet deformitatem. Nam omnis creatura rationalis, secundum dignitatem omni personae inhaerentem, et creaturae finem eidem dignitati respondentem, independens est a caeteris natura sua: unde eo ipso quod peccat contra justitiam qui vult dominari aliis qui ab eo non dependent, non peccat, per se loquendo, qui non vult alicujus voluntati esse subjectus, quatenus spectata dignitate personali eadem sunt omnibus personalia jura: quamvis multipliciter ob beneficia quae a proximis nostris accipimus, unusquisque nostrum eis devincitur, et ordo ipse humanae societati intrinsecus subordinationem postulat unius ad alterum: praecipue vero propter absolutum Dei in creaturas omnes dominium debemus ex justitia subditi esse cuilibet creaturae, quoties ita fuerit a divina voluntate dispositum; unde B. Petrus (Ep. I, cap. II, v. 13) „subjecti estote, inquit, omni humanae creaturae propter Deum.“ Quisque ergo facite videt quantum discriminis sit inter superbiam qua quis dominari cupit inter homines, et superbiam qua quis vult independens esse a Deo; haec enim specialem habet deformitatem, tamquam actus rebellionis in Eum cui ex rigorosa justitia omnis obedientia debetur propter essentialem et absolutam dependentiam omnis creaturae ab eo. Sed insuper superbia consummata talis esse potest vel specificè tantum, qualis est quam modo descripsimus; vel etiam intensive, id est, cum plenitudine malitiae, et haec est superbia diaboli, cujus quidem peccatum fuit in summo malitiae, sive ex parte mentis, cujus scientia, cum esset sublimis valde, perfecta et consummata, inexcusabile prorsus fecit delictum; sive ex parte cordis,

cujus aversio a Deo non est facta quasi indirecte per inordinatum affectum erga creaturam aliquam, sed directe per formalem apostasiam ex inordinato amore sui. Vnde cum vana sui exaltatio causa sit humiliationis sui ex parte divinae justitiae, et consequenter pro modo quo quis se exaltat, humilietur a Deo, ideo diabolus, qui summa malitia se exaltavit, summam passus est a divina justitia humiliationem, quin divinae locus esset misericordiae; quoniam excelsus Dominus qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit, a tam horribili superbiae monstro faciem suam avertit in aeternum. Et merito quidem, nam superbia et initium est omnis peccati, quatenus renuit creatura divinae legi obtemperare; et consummatio est omnis malitiae, quatenus creaturam facit apostatare a Deo: unde consequens est ut superbia omnino consummata, qualis fuit diabolica, cum sit malitiae plenitudo, divinam meruerit, secundum totum rigorem justitiae, indignationem, cum Ecclesiasticus pronuntiaverit: (cap. X, v. 10) „Qui tenuerit illam (superbiam) adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem.“

c) Qui vero angelum superbum reprobavit et projecit ut severus iudex, hominem inobedientem idem Deus punivit tamquam pater clementissimus, qui filium miserum et errantem quaesivit clamans ad eum: — Adam, ubi es? — tamquam si diceret: neque in terra te video subjicientem eam et fruentem fructibus ejus, quae te jam non agnoscit possessorem suum, quia Deum tuum sprevisi, cujus est terra et plenitudo ejus: neque in coelis inter angelos te invenio, quorum familiare colloquium atque beatum consortium propter momentaneam de re frivola delectationem amisisti: sed neque es in temetipso, quoniam a Creatore tuo, qui vita et beatitudo tua est, recessisti. Vbi ergo es? quid est quod fecisti? Adam autem respondit: „Vocem tuam audivi in paradiso: et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.“ Cui Deus: „Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?“ Et respondente Adamo: „Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi,“ dixit Deus ad mulierem: „Quare hoc fecisti?“ et respondit mulier: „Serpens decepit me, et comedi.“ Tunc dixit Deus ad serpentem: „Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae. . . . Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.“ De peccati ergo causa hominem interrogat clementissimus Deus, quia vult illum corripere simul et salvare; qui graviter quidem peccavit, non autem per diabolicam superbiam, sed per inobedientiam. Qua forte de causa non solum non est Deus iratus in posteros Adae sicut in daemones, quia in his peccatum fuit personale, in illis vero originale; sed Adam ipse consecutus est misericordiam, quia Deum non offendit nisi per inordinatum usum vel amorem crea-

turae. Dulcis profecto et rectus est Dominus; et ideo legem dat delinquentibus in via, legem utique vindicativam pro delicto, medicinalem vero pro remedio: in qua quidem lege ferenda praecedit misericordia iudicium, quatenus poenae ipsae quibus injuria Deo per peccatum illata reparatur, ordinantur ad salutem aeternam delinquentium. Incipit ergo Deus, post hominis lapsum, hominem ipsum, quem vult salvare, interrogando, quoniam supra relatus interrogationis processus opus misericordiae fuit: diabolum autem, cujus non miseretur, non interrogat, nec interrogavit umquam, sed ipsi, cui a Deo apostatanti maledixerat, postea saluti hominis invidenti denuo maledicit: cujus quidem secundae maledictionis effectus nova ejus humiliatio fuit, nam primo humiliatus est per Dei, cujus majestati insultavit, omnipotentiam; postea vero in humilitate hominis, cujus perditionem molitus erat, delusa est ejus superbia atque astutia maligna per Dei sapientiam; quia Mulier quae humilitate sua meruit Humilem corde inter filios hominum in ventre suo de Spiritu S. concipere, per eundem fructum ventris sui benedictum caput maledicti serpentis virgineo pede contrivit. Porro extulit primo in altum diabolus caput suum, volens super astra Dei suum exaltare solium, et similis esse Altissimo; detracta autem ad inferos superbia sua per Dei potentiam atque justitiam. Extulit deinde ipse malignus caput suum loquens ad Evam impudenter iniquitatem adversus Deum, ut per mulieris fragilitatem perderet virum; Deus autem per Mulierem humilem, summa exaltatione dignam, delusit eum, per quam venit ad nos Salvator noster, qui in Cruce exaltatus, humilitate et passione sua diaboli destruxit imperium, quod per hominum concupiscentiam exercebat in orbe terrarum. Quam nobis salutarem de animarum nostrarum inimico victoriam significavit Dominus Jesus, quum ad passionem suam proxime venturus dixit: (Joan. XII) „Venit hora ut clarificetur Filius hominis. . . . Nunc iudicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.“ Itaque homo lapsus non est a Deo humiliatus, ut diabolus, in aeternum propter peccatum suum, sed per humilitatem Redemptoris e suo erectus est casu. Ideo divina maledictio non cecidit in personam hominis sicut in diabolum: dixit enim Deus ad serpentem: „Maledictus es etc.“; ad Adamum vero, non „maledictus es tu“, sed „maledicta terra in opere tuo.“ Diversa porro ratio divinae vindictae respondet diversae rationi injuriae Deo illatae: nam Adam non peccavit superbiendo directe contra Deum sicut diabolus, sed transgrediendo praeceptum sibi impositum de non comedendo fructu ligni scientiae boni et mali: non enim suggestione diaboli, qui dixit Evae: „Eritis sicut dii, scientes bonum et malum“, inductus est ad comedendum, siquidem „Adam, ait Apostolus (I. Tim. cap. II) non

est seductus : mulier autem seducta, in praevaricatione fuit¹⁾; nec antequam praefatum praeceptum transgrederetur in voluntatis deliberatione, peccatum grave superbiae aut alterius generis admisit in corde suo; nam lapsus Adami alius non fuit, juxta

¹⁾ Haec Apostoli verba attente consideranda sunt. Multi, quia Deus dixit post Adami lapsum : »Ece Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum«, opinantur Adamum credidisse mendacio serpentis : »Nequaquam morte moriemini . . . eritis sicut dii, scientes bonum et malum.« Sed cum Eva eatenus fuerit decepta vel seducta, quatenus credidit mendacio serpentis, evidentissimum est ex Apostoli sententia Adamum mendacio serpentis non credidisse, quatenus, teste Apostolo, non fuit seductus in eo in quo Eva seducta fuit. Porro loquitur Apostolus loc. cit. de humili conditione mulieris comparate ad virum, dicens : »Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio.« Cujus praecepti rationem subjungit dicens : »Adam enim primus formatus est : deinde Eva. Et Adam non est seductus : mulier autem seducta, in praevaricatione fuit.« Mulierem ergo Apostolus prohibet docere, et jubet a viro doctrinam audire, quia mulier a serpente seducta fuit, Adam autem non fuit seductus; quod idem est ac dicere, Adamum non errasse in mente quoad illud in quo erravit Eva quatenus fuit seducta : nam si in eo in quo Eva fuit seducta, erravit Adamus secundum mentem, etiam Adamus fuit seductus; et sic Apostolus falsum diceret, et ratio qua mulieri praecipit tacere et discere, nulla prorsus esset. Nec dicas — quod Adamus non immediate ab ipso serpente audivit malignam suggestionem, sed mediate per Evam; et secundum hoc dici potest non Adamum, sed Evam tantum fuisse seductam : — nam ad hoc quod possit aliquis dici seductus, perinde est sive ab uno verba seductoria audierit, sive ab alio, dummodo verbis eisdem fidem habeat; Apostolus autem absolute dicit Adamum non esse seductum, et proinde verbis mendacibus quae a serpente Eva audivit, non esse deceptum. Si quis autem adhuc instet, quod Adamus non tam a serpente fuit deceptus quam ab Eva, per eandem tamen serpentis suggestionem; respondeo quod hoc esse non potest nisi quatenus Adamus non acquievit mendacibus verbis serpentis tamquam a serpente procedentibus et ab Eva simpliciter relatis, sed tamquam procedentibus ab Eva intendente decipere Adamum. Sed hoc (praeterquam quod nemo admittit Evam invitantem Adamum ad comedendum, eandem serpentis habuisse malitiam, nam a Scriptura non exhibetur ut seducens, sed ut seducta) multo magis est contra Apostoli mentem atque propositum, qui loc. cit. significare intendit majorem fuisse Adami scientiam quam Evae. Ergo concludendum est Adamum non credidisse mendacio serpentis, quatenus, teste Apostolo, non fuit seductus in eo in quo Eva seducta fuit.

Circa sensum autem illorum verborum Dei : »Ece Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum«, dico, quod quodcumque per unum Scripturae textum difficilis redditur intelligentia alterius textus ejusdem Scripturae, si in illo Scriptura clara est et explicita, ut in citato textu Apostoli contingit, nequaquam ejusdem sensus obvius et apertus deserendus est propter difficultatem alterius, sed hujus intelligentia postulanda est a Deo, qui dat omnibus affluenter, quatenus tamen nobis expediat. Si vero textus intellectu difficilis admittit varias interpretationes, uti contingit, opinione mea, in citato textu Geneseos, illa adhibenda est quae conciliationi ejusdem textus cum alio claro et explicito sit magis accomodata. Jam vero verba illa Dei : »Ece Adam etc.« dupliciter saltem exponi possunt : aut enim alludunt ad effectus peccati tantum respectu Adami aut ad superbam quoque Adami cogitationem, quam serpens Evae suggestit, et Adamo Eva transmissit. Si primum supponatur, verba illa Dei, quae ironice dicta sunt, hunc possunt habere sensum : Ece quam dissimilis nobis Adam effectus est, sciens utique bonum et malum, bonum quidem quod possidebat, amissum, et malum quod modo patitur; secus omnino atque promiserat diabolus. —

Scripturae testimonium, nisi ejusdem transgressio praecepti; dixit enim illi Deus: „Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?“ et: „Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno ex quo

Notandum praeterea verba illa Dei non dirigi ad Adamum, sed ad nostram doctrinam esse scripta, quatenus fructus peccati in Adami lapsu considerantes, a malignitate illius diligentius caveamus: non autem dicta esse (probabiliter saltem) ad illudendum Adamo, licet ironicum habeant sensum; nam Deus peccatori cujus vult misereri, non improperat, sed vocat eum ad poenitentiam. Porro admissa hac expositione praefatorum verborum Dei, non licet ex eis inferre Adamum credidisse mendacibus verbis serpentis; imo nec eadem verba Evam Adamo retulisse. Eadem tamen expositio locum habet, etiamsi Eva, quod probabilius videtur, retulerit Adamo mendacia verba serpentis. Nam verba Dei ad Adamum: »Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti etc.« optime sic exponuntur: Quia audiens quae Eva invitans te ad comedendum locuta est tibi, non modo quod verbis malignis serpentis aurem praebuerit, ei non exprobrasti, sed insuper ipsi contra voluntatem meam morem gerens, praevaricationis ejus socius extitisti, etc. — Possunt autem eadem verba Dei: »Quia audisti etc.« intelligi de sermone Evae Adamum ad comedendum simpliciter invitantis; non autem necessario, per se saltem, intelligi debent de relatione eorum quae Eva a serpente audivit. Dixi autem per se saltem, quia ex verbis Apostoli: »Adam non est seductus, etc.« probabilius videtur Adamum audivisse ab Eva ea quae ipsa audiverat a serpente: alioquin enim verba Apostoli non significarent quod ipse intendit, majorem videlicet fuisse Adami scientiam quam Evae; siquidem ad hanc majorem Adami scientiam ex verbis Apostoli inferendam non sufficit quod Adamus non fuerit deceptus in sensu negativo, quatenus nempe fallax serpentis praesagium non fuerit ei propositum, sed necesse est ut ipsum praesagium, ipsi ab Eva transmissum, eum non moveret, quia falsum judicatum, ad transgrediendum Dei praeceptum. Itaque ex omnibus hucusque enucleatis concludere licet, per citata verba Geneseos non demonstrari Adamum credidisse mendacio serpentis, sed potius oppositum ex Apostoli verbis esse tenendum.

Nihilominus apud Cornelium A Lapide (Comment. in Ep. I. ad Tim, cap. II) haec leguntur: »Quaeritur: Quomodo Adam dicitur non esse seductus, cum ab Eva sit deceptus, et pomum vetitum acceperit ac comederit? Respondet primo Magister sentent in 2 dist. 22. solam Evam dici seductam, quia sola Eva credidit tria quae serpens promiserat, si de pomis vetito comederet, scilicet primo, se non morituros; secundo, similes Deo futuros; tertio, boni malique notitiam habituros. Sed repugnant plerique Patres, qui Adam etiam haec credidisse volunt, et colligitur Gen. 3. 22. ubi Deus irridens Adae credulitatem et appetitum omni scientiae et cujusdam divinitatis: Ecce Adam, ait, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.« Et post recensitas diversas hac de re sententias, exponit idem Cornelius opinionem suam dicens: »Quinto et planius: Eva fuit seducta, quia a serpente volente eam decipere fuit decepta. Unde et ab hoc deceptore se deceptam profitetur, dicens: Serpens decepit me. Adam vero non fuit seductus, id est, a serpente deceptus: serpens enim non ausus fuit vitium aggredi, sed mulierem, quam facilius se deceptorum sciebat. — Hinc etiam Adam non se excusavit ut a serpente aliove deceptum, sed tantum ut allectum ab uxore (nec enim Eva voluit decipere Adamum, sed tantum allicere ad esum sui pomi) tantumque comedis, ut illi quasi sociae morem gereret: Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. — Vbi tamen nota: Mox ut Adam consensit mulieri, factusque inobediens, voluit comedere de ligno, elatus in superbiam, lapsus est in caecitatem, et credidit serpentis promissis, voluitque Deo similis fieri, ac speravit ex pomi esu omni scientiam, ut jam dixi. Hoc enim est quod Deus eum

praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: etc.“ Peccavit ergo Adam mulieri morem gerendo; quod et ipse confessus est dicens ad Deum: „Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.“ Sed neque in Eva fuit diabolica superbia, quam suggestio diaboli decepit quidem, sed eo ipso totum malitiae suae venenum cordi ejus non ingessit, quae juxta B. Ambrosii sententiam magis mobilitate animi quam pravitate peccavit. Has quippe duas causas Scriptura assignat peccati Evae, deceptionem scilicet per astutiam diaboli, et illecebram ex parte ligni: primae causae ipsa mulier testimonium praebet respondens Deo: „Serpens decepit me, et comedi“: quod Apostolus confirmat dicens: „Mulier seducta, in praevaricatione fuit.“ Alteram causam expresse declarat Moyses dicens: „Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, etc.“ Vnde minus videtur fuisse peccatum in Eva, tamquam debiliori, quam in Adamo: et hac forte de causa diabolus aggressus est primo tentare Evam per seductionem, ut ipsa quasi instrumentum ei esset ad dejiciendum fortiorem; spectata namque Adami scientia et prudentia, major in eo requirebatur malitia, ut praecepti Dei transgressionem admitteret, et

irridens dixit: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Ita Theoph. Ambr. Chrys. Anselm. August. « Verum haec verba Dei: »Ecce Adam etc.« non necessario alludunt ad praefatam cogitationem superbam Adami, sed possunt alludere, ut supra ostendi, ad effectus peccati in Adamo, simulque ad eandem superbam cogitationem, non tamen ut in Adamo existentem, sed quatenus eam diabolus primis parentibus suadere molitus fuit; et consequenter non potest ex iisdem verbis Dei demonstrari Adamum credidisse mendaciam serpentis. Si tamen propter auctoritatem Patrum ad quos alludit Cornelius A Lapide, necesse est illum errorem Adamo tribuere, placet mihi quam exscripsi explicatio Cornelii, quatenus error ipse non ut causa Adamo tribuitur, sed ut effectus praevaricationis ejus. Nam si Adamus, non quia promissis crederet serpentis, sed ut mulieri tamquam sociae morem gereret, peccatum inobedientiae admisit in corde suo; licet mox, lapsus in caecitatem mentis, et exinde serpentis credens promissis, jam ad esum pomi manum extenderet cum peccato superbiae; hoc non est contrarium sententiae Apostoli, quatenus ita haec intelligatur ut mulier non sit simpliciter in praevaricatione seducta, sed e seductione praevaricata; sic enim salvatur oppositio quae in verbis Apostoli est manifesta, inter virum et mulierem, quatenus in hac seductio fuerit praevaricationis causa, non in illo. Et quidem textus graecus habet, teste Estio: (Comment. in hunc locum Apostoli) »Mulier autem decepta, in transgressionem facta est«: et Ambrosianus: (addit ipse Estius) »Mulier autem seducta, facta est in praevaricationis.« In muliere igitur seductio fuit causa praevaricationis, non in Adamo, qui mulieris errorem non admisit antequam per inobedientiam, per quam dona Dei supernaturalia sibi et nobis perdidit, violaret praeceptum Dei. Relinquitur ergo Adamum per peccatum inobedientiae, non superbiae sicut angelus, a justitiae statu excidisse; et hoc est quod in textu asserui et probavi, et in hac adnotatione confirmandum assumpsi. Quod postremo confirmatur alio Apostoli testimonio, qui, postquam dixit (Rom. V.) quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, declarat per quam peccati speciem peccatum sit introductum in mundum, dicens: »Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.«

ideo difficilius erat ut tentationi succumberet; quod intelligens diabolus, tentavit illum perdere per amorem uxoris, qui profecto laqueus fuit quo majorem omnium cepit praedam venator nequissimus animarum. Evam autem per quamdam, ut videtur, hallucinationem ad malum induxit, tum avertens oculos ejus a timore divinae justitiae, tum ei blandiens praesagio prosperitatis falsae: dixit enim illi: „Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.“ Nihilominus non videtur credendum quod Adam, sicut et Eva, de justo in peccatorem, absque alia praevia, etsi veniali culpa, sola tentatione quam refert Scriptura, sit repente mutatus; nam dilectio Dei, quae est honorabilis sapientia, animam praeservat ab omni stultitia. Fortasse igitur a divino amore primi parentes aliquatenus defecerunt, in aliquam incurrentes infidelitatem erga Deum, et ideo, tentatione urgente, stulti facti sunt, amore capti creaturae. Si enim ambo fideles semper Deo usque ad tentationem ispaem extitissent, eandem semel cognitam, Dei timore muniti, forti animo repulissent: nam timor Dei, qui peccatum expellit jam commissum, multo magis repellit nondum admissum.

d) Itaque primi parentes, etsi non peccaverunt sicut diabolus, peccaverunt tamen graviter; propter quod divinam incurrentes indignationem humilitati sunt. Haec autem eorum humiliatio fuit, ut praeter justitiam originalem et dona supernaturalia quae gratiam sanctificantem comitantur, amitterent sibi et posteris suis dona integritatis et immortalitatis, et sic in ordine ethico fieret homo obnoxius concupiscentiae, et carnis suae rebellionem sentiret qui rebellis extiterat Deo suo; in ordine autem physico obnoxius esset corporis corruptioni et morti, quoniam a Deo per peccatum discesserat in quo vivimus et movemur et sumus. Jam igitur homo, donis Dei gratuitis per peccatum spoliatus, vulneratus autem in naturalibus, quamvis amicitia Dei et jus ad vitam aeternam feliciter recuperantur in omnibus quibus applicantur merita Redemptoris, nonnisi per poenitentiae luctum et obedientiam laboriosam ad Creatorem suum, a quo per inobedientiam recesserat, redire permittitur: cujus quidem labor obedientiae luctamen est adversus naturae nostrae concupiscentias, e quibus fructus prodeunt quos serpens maledictus comedet in aeternum; damnatus enim est a Deo ad comedendam terram cunctis diebus vitae suae, et quam terram nisi homines terrenos euntes post concupiscentias suas? Quantus autem sit ejusdem obedientiae luctaminisque labor et difficultas, sanctum nobis edicit Evangelium in illis verbis Domini: (Matth. cap. VII) „Intrate per angustam portam Quam angusta porta, et arcta via est quae ducit ad vitam: et pauci sunt qui inveniunt eam!“ Audiamus igitur et memoriae

sedulo commendemus illam Apostoli admonitionem atque sententiam: „Nolite errare: Deus non irridetur.“ Profecto quisquis sit qui se exaltat, humiliabitur, quia non est personarum acceptio apud Deum: ecce enim angelis in coelo non pepercit, nec homini in paradiso, quibus vix aliquid inter creata invenitur excellentius: sed nulla est creaturae excellentia quae divinae bonitatis non sit participatio, et omnes creaturae quasi non sint, sic sunt coram Deo, quoniam a seipsis nihil sunt; unde Apostolus: „Si quis, inquit, existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.“ Omnes ergo creaturae, si divinae Majestati comparentur, ejusdem prorsus conditionis inveniuntur, nec plus habet perfectionis supremus inter angelos quam terrae vermiculus, quia omnes pariter nihil omnino sunt. Revera nequit angelus aliquid esse, si homo juxta Apostolum nihil est; quia non in sensu absoluto dicitur homo esse nihil, in quo angelus aliquid est, sed per comparisonem ad Deum, secundum quam creaturae omnes ejusdem conditionis sunt. Et hoc significare voluit Dominus Jesus, cum dixit discipulis suis: „Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.“ Eodem porro sensu servi inutiles sumus quo nemo bonus nisi solus Deus, quoniam in ipso vivimus et movemur et sumus.

e) Nemo itaque putet majori Deum benignitate vel misericordia aut minori vindicta in creaturam nobiliorem esse usurum, si haec peccatum admittat. Inter creaturas utique major injuriatoris nobilitas minorem reddit injuriam, quoniam quaelibet creatura rationalis, cum a caeteris non dependeat, sed a solo Deo, in entitate et personali dignitate sua, habet exinde coram aliis sua propria jura; atque vel ob potestatem in alias personas a Deo in se derivatam, vel ob perfectiones personalitati suae inhaerentes potest persona aliqua notabiliter potioris esse conditionis prae aliis multis; unde fit ut una creatura digna sit apud aliam reverentia atque obsequio, et ideo tanto major sit, caeteris paribus, injuria quam quis alteri facit, quanto longius distat conditione sua a dignitate alterius. At inter creaturam et Deum hoc non habet locum; sed e contrario, quanto creatura est nobilior, tanto major est, caeteris paribus, injuria quam Deo infert peccando. Nam praeterquam quod nulla creatura habet jus aliquod coram Deo, eo quod quidquid perfectionis est in creatis, absoluto subjaceat Dei dominio, quia creaturae a se nihil sunt, et a Deo habent quidquid sunt, in qua quidem dependentiae relatione atque originis non est invenire magis et minus, sed omnes creaturae ejusdem conditionis sunt; praeter hoc, inquam, creatura nobilior magis et melius divinam cognoscit excellentiam, et inde major est ejus culpa, si debitam Deo non exhibeat reverentiam et obedientiam: et insuper omnis natura creata et perfectiones ejus donum Dei

sunt, pro quibus Deo debentur amor et gratiarum actio; et proinde tanto majoris per peccatum quis reus fit ingratitude erga Deum, quanto altiore inter creata obtinet locum. Duplici ergo ex causa nobilior creatura majorem per peccatum Deo facit injuriam, quatenus nempe abutens scientia sua Deum sua voluntate offendit et ut bonus in se est, et ut ei bonus est. Ex his inferes quanta fuerit deformitas peccati diabolici, et quam juste divinam meruerit vindictam absque spe veniae in aeternum.

f) Sed putabat fortasse maledictus ille superborum antesignanus, de sua deliberans exaltatione, nequaquam fieri posse ut summe bonus Deus opus tam praeclarum atque magnificentum potentiae suae, qualis erat tunc in principio angelica creatura, ad peccati ultionem destruere vellet: verum fefellit illum malitia sua, et stulte cogitavit non considerans quod Deus non irridetur. Nihil certe profuit ei tam excelsae esse naturae, sicut nihil profuit ad salutem superbis judaeis esse filios Abrahae secundum carnem: et quemadmodum potuit Deus, judaeis reprobatis, de lapidibus suscitare filios Abrahae secundum spiritum, auferens cor lapideum de carne nostra, et dans nobis cor carneum, ut in praeceptis ejus ambulemus, et judicia ejus custodiamus et operemur; similiter potens est ex hominibus mortalibus et infirmis quos velit, assumere ad celsitudinem illam unde diabolus et socii praevericationis ejus ceciderunt, sublimandos.

g) O Paule beatissime! quam bene dixisti: Deus non irridetur! Merito quidem gloriabar in infirmitatibus tuis, ut inhabitans in te virtus Christi per ipsum carnis stimulum quo nitebatur Satanas consortem te suae facere ruinae, fortiorem te redderet ad pugnandum contra eum Deoque fidelior, et sic tua fieret corona illustrior, ut unam e superioribus coeli sedibus, et fortasse ipsam quae Satanae praeparata erat, scandere merereris: tu enim prae Apostolis omnibus principem hujus mundi ejecisti foras, quia portans nomen Jesu coram gentibus et regibus et filiis Israel, abundantius illis omnibus laborasti; et ad majorem diaboli confusionem et humiliationem divinaeque bonitatis laudem, qui Satanae quondam minister devastabas Ecclesiam Dei, quia ignorans fecisti in incredulitate, magnam et singularem consecutus es misericordiam, et factus a Christo vas electionis, pugnans cum diabolo tamquam Christi minister et princeps christianae militiae, quasi alter Michael magnam et singularem fecisti victoriam.

h) Quanta putas, lector charissime, futura est diabolo et angelis ejus confusio et humiliatio, quando in die judicii publica fiat misericordiae et justitiae Dei atque solemniter manifestatio, et videant ipsi malitiam suam atque ruinam et gloriae Dei et

exaltationis hominis non parvo fuisse occasionaliter incremento!¹⁾ Tunc profecto illius Paulinae veritatem sententiae, quod scilicet Deus non irridetur, factis splendidissimis videbimus comprobata, praesertim vero apostatarum abiectione angelorum et hominum

¹⁾ Invidia diaboli mors introivit in mundum; Deus autem mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Sed invidia diaboli et ejus hmanco generi tam calamitosis effectibus non obstantibus, Dei propositum circa hominum salutem et gloriam adamussim, imo et cumulate adimplebitur, quoniam hominis causam sibi Deus assumpsit tamquam propriam; homo enim, qui totius est creationis compendium, exhibetur in Scripturis sanctis ut haereditas vel possessio Dei (Luc. XX), vel ut ager in quo Dominus seminat semen bonum (Mat. XIII); diabolus autem significatur nomine inimici qui eodem in agro seminat zizania, juxta illud quod in principio dixit Deus ad malignum: »Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.« Ideo, ni fallor, causam populi Dei causam vocat Psalmista ipsius Dei, dicens: (Ps. 73) »Exsurge, Deus, judica causam tuam.« Diabolus ergo est quasi Dei aemulus, qui glorificationem Dei in homine totis viribus impedire conatur: Deus autem qui, utpote summum bonum, potens est de malis bona educere, adversarii sui oppositionem permittit ad se magis in homine glorificandum; et ideo dixit Dei Filius: (Joan. X, 10) »Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego (pastor bonus) veni ut vitam habeant, (oves meae) et abundantius habeant,« abundantius videlicet quam si fur vel diabolus non venisset, quia congruum valde est ut Dei bonitas et munificentia magis resplendeant in fructibus redemptionis, ob reverentiam passionis Filii Dei, quam in sola sanctificatione hominum absque mediatione Redemptoris. Et ita quidem oportebat fieri, quia pugna carnis et spiritus in statu naturae lapsae majus requirit divinae gratiae auxilium ad recte ac salutariter agendum et ad perseverandum in bono: utrumque autem perbelle est a divina providentia dispositum, ut scilicet et major sit hominis justae dignitas per uberiorem gratiam, et major in acquirendis meritis labor et difficultas ex concupiscentiae stimulis; nam ita Christi milites fortiter et alacriter ex Dei gratia properantes ad pugnam, etsi carnis sentientes infirmitatem, fortiores et majore digni praemio in dies efficiuntur, quoniam virtus in infirmitate perficitur, marcescit autem sine adversario; atque per idem spirituale exercitium divinumque gratiae auxilium solertes redduntur et animosi ad arripiendas coronas gloriae quas praeveritatores angeli amiserunt. Tales autem homines ii sunt qui in S. Scriptura hominis nomine digni reputantur, quoniam rationale Deo praestant obsequium: legimus enim in Ps. 35: »Homines et jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus:« quamvis qui hominis nomine digni sunt, sub alio respectu angelos melius dixeris quam homines; ex quo enia homo, non intelligens quod in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, inter angelum et jumentum non datur medium, quatenus homo aut arctam viam quae ducit ad vitam, ingrediens, et ad regnum Dei per angustam portam intrare contendens, sequitur Christum carnem suam crucifigens cum vitis et concupiscentiis; et sic certam faciens suam vocationem et electionem ad gloriam, dignus fit qui in coelo inseratur angelicis choris: aut passionibus plus minus indulgens, nec de christiana perfectione sibi comparanda sollicitus, quamvis vere credat in Christum, aeternae perditionis suae periculo se committit, et quasi bestia identidem cadit in laqueum venantium daemoniorum. Verumtamen ex talibus hominibus, quos jumentorum nomine designat Psalmista, multos salvat Deus multiplicans misericordiam suam: qui licet non mereantur quas mali angeli deseruerunt pretiosas coronas, eo quod super fundamentum quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos superaedificent, sed ligna, fenum, stipulam; quia tamen vere Deo reconciliati ex hac vita decedunt, etsi tempore peregrinationis hominis dignitatem actibus suis non sunt assecuti, sed jumentis sunt comparati, digni tandem fiunt qui in

exaltatione qui in locum eorum substituuntur in coelis Tunc adimplebitur illa maledictio quam serpenti antiquo infixit Deus in principio: „Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae“: non enim propter animal quod nihil

societate beatorum, non quidem inter angelos, secundum dignitatem aut meritum, sed utique inter homines computentur. Jam vero, si tertia pars angelorum, ut communiter creditur, de coelo cecidit, et ad horum sedes occupandas, ut sentiunt SS. Patres, homines destinantur; ergo numerus angelorum beatorum erit duplo major numero beatorum hominum qui angelis malis substituuntur. Cum autem numerus hominum qui hujusmodi gloria digni sunt, si experientiam consulamus circa eos qui christiane moriuntur, non videatur major pars esse eorum qui propriis meritis salvantur, sed forte multo minor, in minori enim numero esse videntur qui studio christianae perfectionis serio incumbunt; hinc probabiliter major erit in coelis numerus beatorum hominum, demptis infantibus, quam angelorum. Circa quod adverte non esse credendum, meo saltem iudicio, numerum salvandorum hominum, nequidem inter adultos, invidia diaboli esse imminutum; nam in hoc apparuit Filius Dei, teste B. Joanne, ut dissolvat opera diaboli: quod nisi minus digne de Dei bonitate sentiamus, ita, ni fallor, est intelligendum ut non modo non possit diabolus gloriari quod aliquid detrimenti gloriae Dei extrinsecae attulerit malitia sua, sed contra, cum stante pugna boni et mali, majorem esse oporteat boni manifestationem quam non existente oppositione adversarii, et aliunde non solum Deo non desit bonitas et sapientia ad id efficiendum, sed insuper ex facto constet mirificam usque ad summum voluisse Deum occasione peccati ostensionem facere misericordiae suae, hinc sive propter diaboli confusionem, sive propter Christi honorem et reverentiam passionis ejus, major evadat occasione peccati gloria Dei extrinseca in societate beatorum, et non solum intensive, sed fortasse etiam extensive, quam fuisset nulla existente praevaricatione in angelo et in homine. Quod gloria Dei occasione peccati major evadat intensive, ostendimus supra, de ruinae angelorum reparatione loquentes: multo enim magis glorificatur Deus in hominibus mortalibus et infirmis ad angelorum sedes sublimandis quam glorificaretur in angelis lapsis, si in veritate stetissent; nam unius et ejusdem gloriae assecutus multo magis commendat supernaturalem divinae gratiae influxum in homine concupiscentiis obnoxio quam in puro spiritu imperfectionis experti et alta sapientia praedito. Ad hanc porro gloriam assequendam datur hominibus vita spiritualis abundantior, dicente Domino: »Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant (oves meae) et abundantius habeant.« Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ait Apostolus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. Vtrum vero gloria Dei occasione peccati major etiam evadat extensive, attende circa hoc ad ingentem numerum infantium qui salvantur. Naturalis quidem ordo postulat ut homo ad adultam perveniat aetatem, ut sic per rectum usum libertatis beatitudinem mereatur; et ideo per accidens est (propter mortem nempe, effectum originalis peccati) quod in infantia ex hac vita decedat: unde inferre licet quod infantes qui salvantur, non sunt praedestinati ad gloriam nisi consequenter a praevisione originalis peccati. Horum autem numerus infantium praeter numerum est hominum qui praedestinati fuissent Adamo non peccante: quia si propter originale peccatum tot adulti amitterent beatitudinem quot salvantur infantes, multum ex invidia diaboli (quod non est credendum) imminuta esset ex hac parte gloria Dei; nam adulti salvantur propriis meritis, secus atque infantes; et insuper tantus est numerus infantium qui salvantur, ut adulatorum praedestinatorum numerum aut adaequet forte aut superet. Si quaeras autem quomodo fiet ut tot hominum millibus et millium millibus quavis mundi aetate sedentibus in tenebris et umbra mortis, non sit tamen minor adulatorum praedestinatorum numerus quam fuisset Adamo non peccante, audi Deum dicentem ad Evam post ejus lapsum in peccatum: »Multiplicabo conceptus tuos.« Permisit

peccavit, haec dicta sunt, sed propter diabolum qui eo usus est. Super suum igitur pectus gradietur diabolus quando ponet Deus inimicos Christi scabellum pedum ipsius: nam quamdiu perdurat Ecclesiae militantis peregrinatio super terram, adhuc extollit malignus caput suum loquens ad homines, sive per se, sicut ad Evam in principio, sive per angelos suos, iniquitatem adversus Deum: a die autem iudicii in aeternum nihil aliud poterit superbus

nimirum Deus ut ex effrenata concupiscentia multo plures generentur homines quam in statu originalis justitiae generati essent, et ex hac humani generis massa damnata elegit ipse quos voluit, ad civitatem sanctorum aedificandam in coelis. Quidam quidem opinantur quod Scriptura, ubi legimus; »Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos«, significat multiplicationem aerumnarum tantum, ita ut juxta modum loquendi Hebraeis frequentem aerumnas et conceptus positum sit pro aerumnas conceptuum; sed hoc certo non constat. Quamvis autem ita esset, quod videlicet de multiplicatione conceptuum consequenter a primorum parentum lapsu nihil Scriptura dicat, eamden tamen multiplicationem conjectando ponere non esset contra Scripturam.

Diligenter autem adverte id unum in hac me adnotatione intendisse, ut illam Apostoli sententiam, quod scilicet Deus non irridetur, e divina revelatione ostenderem in sensu absoluto verificari oportere, quatenus et glorificetur Deus in sua justitia reddens unicuique juxta opera ejus; et laus Dei per amorem creaturae rationalis in eum (qui quidem amor est sacrificium laudis per quod honorificatur Deus et propter quod creata sunt universa) non solum invidia diaboli non sit imminuta, sed multum potius augeatur diabolica occasione malitiae. Caeterum quae de numero dixi praedestinatorum ad gloriam, intelligantur supponendo quod omnes homines in statu innocentiae vel justitiae originalis, si perseverasset, salvandi essent. Sed cum Adam, adeo perfectus in scientia, et omni virtute naturali et supernaturali praeditus, praevaricatus sit, et etiam angeli in veritate non steterint; multo possibilis erat ut Adae posteris, cum nati non fuissent perfecti, sed, prout postulat naturalis conditio hominis, tum corpore tum anima perficiendi, in Dei offensam incurrerent; posita autem defectione aliquorum, facilius adhuc fuisset ut per horum scandalum propagatum esset in humana societate peccatum. Itaque necesse est prorsus quid futurum fuisset humano generi, si Adam non peccasset. Porro, peccante Adamo, Christus nos redemit, quia universum genus humanum destitutum fuit in eo divina gratia, quam ipse poenitens recuperavit quidem per merita futuri Redemptoris, sed tamquam suis ipsius propriam solummodo non qualiter prius a Deo illam acceperat, filiis nempe haereditariam. Si autem divina gratia, Adamo non peccante, transmissa esset ab eo in posteros tamquam haereditaria, tunc, etiamsi multi ex hominibus peccasset, humanum genus simpliciter non indigebat redemptione. Multo ergo melius fuit, spectata solummodo humani generis salute, et abstrahendo a glorificatione Dei per opus redemptionis, peccatum permitti in Adamo et posteris simul, quam in multis ex hominibus salva justitiae originalis transmissione; quia peccante Adamo, Christus pro omnibus mortuus est, in hypothesi vero transmissionis justitiae originalis nullus peccator, ut videtur, fuisset redemptus per mortem Filii Dei. Nec obstat illud Apostoli: (Gal. II, 20) »Qui (Christus) dilexit me, et tradidit semetipsum pro me«: nam ita Christus mortuus est pro omnibus, ut occasione humani generis redimendi eodem charitatis affectu se obtulerit Patri pro singulis ac si unus tantum redimendus esset. Felix ergo Adami culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem! per quem Deus summopere glorificatur, et homines abundantiori Dei gratia vivificantur, atque hoc Dei dono animum eorum roborante, simulque urgentibus concupiscentiae stimulis, oratio ad Deum humilior fit atque frequentior, et charitas pariter redditur intensior, et sic angelorum ruinae feliciter reparantur.

iste, qui summa impudentia similis Altissimo esse concupierat, nisi facie ad terram versa terram comedere cunctis diebus vitae suae, id est, suum in Deum odium in homines ad imaginem Dei factos et suae ruinae socios desaeviendo satiare; hi enim sunt homines illi de quibus dicit Apostolus (I Cor. XV) „Qualis terrenus, (homo), tales et terreni“, qui videlicet imaginem non portant hominis coelestis, Jesu Christi, Filii Dei: nam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Sed quemadmodum amoris objectum pabulum est animorum ad beatitudinem, ita objectum odii non suppeditat impio nisi majoris causam ruinae atque miseriae: itaque quidquid molitur diabolus adversus Deum, quamvis caninam habet famem devorandi animas, uti docet Ep. I, cap. V B. Petrus; effectus tamen omnes malitiae suae in propriae cedunt maledictionis incrementum, ut verum sit in omni sensu et sub omni respectu quod Deus non irridetur. Dixit ergo Deus ad serpentem vel diabolum post primorum parentum tentationem et lapsum: „Quia fecisti hoc, maledictus es..... et terram comedes cunctis diebus vitae tuae“; tamquam si diceret, ut ego conjicio: — Fructus malitiae tuae, homines carnales vel terreni, erunt cibus tuus in perpetuum. — O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam fortiter, Domine, attingis a fine usque ad finem, et quam suaviter omnia disponis, deponens potentes de sede atque exaltans humiles!

**Der heilige Peter Orseolo,
Doge von Venedig und Benedictiner in Cuxa.
(928—987.)**

Von P. Bernhard Schmid, O. S. B. in Scheyern.

(Schluss zu Heft I. 1901, S. 71—112.)

Zweiter Theil.

Im Kloster.

Neuntes Capitel.

Sein Noviziat, seine Profess und sein Tugendeifer.

Orseolo hatte nun das gastfreundliche Ufer erreicht, nach welchem er aus den Stürmen der Welt sich so sehr gesehnt hatte. Da bezüglich seines Berufes zum Ordensleben nicht der leiseste Zweifel bestand, wurde er nicht nach der Vorschrift der Regel des hl. Benedict (58. Cap.) zuvor auf einige Tage zur Prüfung in einer Gastzelle zurückbehalten, sondern sogleich in das gemein-